



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Maria Ægyptiaca. 9. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. MARIA ÆGYPTIACA. 9. Aprilis.

Audite omnes apud divinum tribunal rei. Patronam si MATREM Judicis habetis, causam peractam habetis. Certè causâ laboravit illa MARIA, cui nomen Ægyptus dedit, & tamen hâc non cecidit, ubi melior MARIA peroravit. Quid enim? nominis illa sui oblita, ut voluptati litaret, pudorem non venalem, sed gratis omnium libidini exposuit: quin festo Exaltatæ Crucis die, cum Hierosolymam Orbis conflueret, ausa est velle ibi infanda Veneris sacra publicare. Sed molientem ter pedem impurum templo inferre, ter repulit vis arcana. Quid MARIA? ad MARIAM abit. quid agis misera? Veneri patrocinari vis Virginem? O quid apud MATREM non possunt lacrimæ? quid non lac MATRIS apud sanguinem potest FILII? orat illa; exorat iste: absolvit Judex admissam, quam absentem damnaverat. Sed audite pœnitentem, qui peccantē inspicitis, VI. annis supra XL. eluit lacrimis feras inter, quidquid inter homines peccaverat, semper oppugnata ab Orco, semper victrix, VIRGINIS auxilio, nulli hominum nisi Zosimo visa. Is divino ductu ad eam venit, & vitæ feriem, quam dedimus, audivit; cum sacro dein epulo revisit, quod ut caperet MARIA, per Jordanem sicco vestigio advolavit. Itâ puram cum undæ jam probassent, secundò redux defunctam in arenâ offendit: anxio verò de sepulturâ leo supervenit, & fossam unguibus dedit, æternum non tam pœnitentis, quàm miserantis MARIÆ monumentum. Ex vit. PP.

*Si criminum immunitate turbatus, si conscientia
fœditate confusus, si judicii horrore perterritus, si ba-
rathro*

rathro desperationis absorptus es, Mariam cogita, Mariam invoca: non recedat à corde, non recedat ab ore.
S. Bern. serm. sup. Missus.

S. MACARIUS PATRIARCHA.

10. Aprilis.

MACARIUS Armenus Patriarcha Antiochenam sedem beavit, sed multò magis pauperes, quos unos ille domi Palatinos, foris antambulones habuit. Ob id, & quæ jam tunc patrabat mira, ne in ore omnium esset, omnium oculos fugit, & sub quo lateret ignobilis, sepulchrū Christi petiit. Sed Saracenorum scelere ad ipsa ossa usque lacera virtus, & tribus clavis pavimento affixa, pressaque pectus ignito saxo, ut ferè solet, se ipsa prodidit: prodidere Angeli in auxilium missi, ipsique jam hostes MACARIUM, & quod caput est, in MACARIO DEVM agnoverunt. Interea parentes suum esse dedecus arbitrati, orbam filii insulam filiumque exulem videre, mittunt, qui aut verbis, aut vi adducant. Et jam parabant hanc illi. Sed cælo pugnante capti oculis manibusque, quas ad facinus extenderant, MACARIO se dediderunt. Hic cruce, quæ illi scipionis loco serviebat, oculos & manus reddidit, itaque expeditus exul orbem deinde pererravit, Bojariæ quoque hospes, demum Gandavum in Flandriam pervenit, relictis ubique symbolæ loco ingentibus miraculis, quæ unico suo scipione dedit cruce insignito. Flandriam cum dirissima lues popularetur, sese cum gemino socio vicariam urbis victimam morti objecit. A morte geminum circulū cæli ostenderunt & crucem in altero, ut sciremus, quò crux scipio illum abduxisset. Sed numne MARIAM amavit?